

Cardinalis nepotis nuncupatio congruit, de quo superius quoque actum est. H

Est pariter officium vacabile, per mortem naturalem, vel per promotionem ad Cardinalatum, cuius dignitati iste gradus nimium proximus reputari solet, eodem modo quo de dicto alio officio Auditoris Camerae insinuatum est; Atque ob hanc maiorem administrationem negotiorum cameralium, & ab eis dependentium, vnde propterea frequentius magisque fiducialiter tractat cum Papa, dictoque eius primo ministro, de facto est officium maioris estimationis, quã alterum Auditoris; Ille siquidem habet audientiam Papæ, dictique Cardinalis primi, ministri semel in hebdomada; Iste verò bis, statutis diebus, mercurij, & sabati, ac etiam frequenter extraordinariam, iuxta negotiorum contingentiam.

Ex amplis facultatibus, quæ sibi per enunciatam Sixti V. Constitutionem attributæ sunt I, procedit etiam cum processu sumario, & executiuo, adeo vt eius sententiæ & decreta, suspensiuã appellationẽ nõ admittant ac propterea quãdo ab eis appellatur ad Tribunal Camerae, ab isto regulariter committi solet appellatio ad solum deuolutiuum cum clausula *seruata forma* Quoties nullitatis, vel iniustitiæ ratio; aliter non suadeat, vt agendo de dicto Tribunali Camerae aduertitur.

H. supra disc. 6.

I. dicta const. 100. Sixti V.

L. supra disc. 33.



De Governatore Urbis, eiusque Tribunali.

S V M M A R I V M.

I **D**E origine huius officij remissive, & de eius prerogatiua.

- 2 Est Magistratus secularis, & quam iurisdictionem habeat cum Clericis, & ecclesiasticis.
- 3 De audientia quam habet à Papa.
- 4 De modo cum quo incedit per Urbem.
- 5 De eius Locumtenente civili.
- 6 In quo proprie versetur munus Gubernatoris.
- 7 Magis inuigilandum est ne delicta committantur, quàm vt commissã puniatur.
- 8 De Locumtenentibus criminalibus, & alijs ministris.
- 9 De Congregatione quam tenet, Qui interueniant, & quid in ea agatur.
- 10 Quas partes soleat in his gerere Papa.
- 11 Laudatur rigor, & de rationibus.
- 12 Quare in Vrbe & Statu Ecclesiastico iustitia benè administratur præsertim in criminalibus.
- 13 De eadem commendatione rigoris, & aliquarum exorbitantiarum, quæ referuntur in ista materia criminali.
- 14 Quare de stylis, & de alijs ad hanc materiam spectantibus non agatur.
- 15 Quod pro maiori parte procedatur cum hannimentis.
- 16 De visitatione carcerum quam facit Gubernator.
- 17 De eius iurisdictione intra districtum, & quæ agat.
- 18 Commendatur usus exploratorum.

DISC. XXXVI.

I **N** eadem insinuata Rubrica Cardinalis Camerae, de isto quoque officio, eiusque origine, mentio habita est; Inter omnes etenim Curie officiales, & Prælatos, post Cardinales, ipse primũ occupat locum, ob enunciatam figuram Vicecamerarij, vnde propterea in publicis, ac solemnibus functionibus Papæ, præcedit etiam Regum, & Principum Oratores, ac Pontificis nepotes, aliosque Magnates qui Solij prerogatiua potiuntur.

Est autem istud officium manuale, ad Pontificis nutum amouibile, eiusque munus consistit in sæculari gubernio Urbis, vnde propterea dicitur magistratus sæcularis, qui iurisdictionem non habet cū clericis, alijsque personis ecclesiasticis, iuxta

juxta eius ordinaria facultates; Benè verum quod per breue speciale, iure cuiusdam extraordinariæ delegationis, aliquæ facultates etiam cum clericis & ecclesiasticis ei communicari solent; Idque omninò incongruum non est, dum istud officium semper residet in qualificato Prælato, qui propterea est persona ecclesiastica; Ac etiam quia, vbi de grauibus negotijs agatur, omnia operatur, cum scientia, & participatione Papæ, cuius audentiam ordinariam fixam supra omnes alios officiales habet singulis diebus mercurij, & sabbathi cuiuslibet hebdomadæ, vltra extraordinariam, iuxta negotiorum contingentiam, pro qua, singulis diebus, ac horis, licentiam habet certiorandi Pontificem per literas familiares.

Occasione autem accedendi ad Pontificis audientiam, siue vbi aliàs per Urbem publicè incedat, ipsum præcedit armata familia quorundam militum, qui bini ad formam processionis incedunt cum armis hæstatis, tanquam per imaginem illius militiæ, quæ præcedit pro custodia, Papæ, atque congrua est supremis Principibus, cum aliqua tamen differentia, tam in habitu, quàm in forma armorum; Vt etiam habet Regens Magnæ Curie Vicariæ Neapolis, sed iste in lōgè maiori numero maioriq;ornatu, Gubernator, ordine ac decore.

Quamuis autem iste officialis, in Vrbe; eiusque districtu, vtramque habeat temporalem iurisdictionem, civilem scilicet, & criminalem; Nihilominus, causarum civilium modicam, peneque nullam habet cognitionem, parumque in isto causarum genere se ingerit, solumque habet vnum Locumtenentem in civilibus, simplicem togatum, cuius munus versatur in summaria cognitione causarum breuiorum, & præsertim earum, quæ contingant pro famulorum, aliorumque operariorum mercede, vnde propterea pedanei Iudicis figuram facere videtur.

Præcipuum itaque, ac totale munus Gubernatoris Urbis, eiusque Tribunalis, ac ministrorum, versatur, circa causas criminales, atque reorum & delinquentium punitionem; Magis autem ac principaliter, in vigilando, super publica quiete, & ne delicta committantur, cum Principis, atque Rectoris, maiores, & commenda-

biliores partes consistere dicantur, potius 7 occurrendi ne sequantur delicta, quàm vt sequuta puniantur; Ideoque commendatione dignus est ille Rector Ciuitatis, vel prouinciæ, qui nullos, vel raras habuit occasiones puniendi delinquentem, ob istorum pœnuriam.

Pro isto autem munere exercendo, quamplures Gubernator, vltra dictum 8 Locumtenentem civilem, habet officiales, ac ministros subordinatos; Nempè duos Locumtenentes criminales, quorum singuli habent aliquos subordinatos, qui dicuntur substituti, vltra Notarios criminales, & civilem, quorum singuli pariter habent plures substitutos, nec non copiosam familiam armatam, cum Barifello, qui per antinomasiam, ad differentiam illorum Auditoris Cameræ, Vicarij, & Senatoris dicitur Barifellus Romæ, atque est gradus primarius inter birruarios istius principatus.

Habet autem Congregationem Criminalem in eius palatio in die martis cuiuslibet hebdomadæ, in qua interueniunt, præfati duo Locumtenentes criminales, & aliqui ex dictis ministris inferioribus, qui Locumtenentes substituti dicuntur, pro causarum qualitate, id est illi, qui aliquam habeant, vel habuerint participationem in causa, siue in fabricatione processus; Ac etiam interueniunt, Aduocatus Cameræ & fisci, quando interuenire velit, & Procurator fiscalis generalis, cui principaliter incumbunt partes instandi contra inquisitos, eiusque substituti, vnus vel plures, pariter pro causarum qualitate, ac participatione respectiue; Nec non Aduocatus pauperum, & duo Procuratores pariter pauperum superius insinuati, occasione agendi de Congregatione Visitationis carceratorum; Vnus nempe deputatus ex officio iuxta praxim omnium principatum, seu magnorum Tribunalium; Et alter per Confraternitatem Charitatis.

In ista verò Congregatione, audiuntur Aduocati, & Procuratores defensores Inquisitorum, ac etiam Aduocati, & Procuratores Accusatorum, qui pro vsu loquendi Curie, adhærentes fisci, seu instigatores nuncupantur in contradictorio, quod deficientibus Instigatoribus, seu adhærentibus, haberi solet, inter defensores, & fiscales, de quibus supra; Et quando

do desint quoque defensores extrinseci, vt contingit in pauperibus, qui non habeant modum eos conducendi, habetur contradictorium inter dictos, fiscalem, & defensores pauperum; Et quando inquisitus pauper cupiat, vt dictis Aduocatis, & procuratoribus pauperum alius adiungatur defensor, quem nominet, eo quia illi magis confidat, tunc solet Gubernator, illum caudicum requirere, pro huiusmodi charitate exercenda, quæ libentissimè a dhibetur; Adeò vt quandoque (licet nimium rarò) aliqui inquisiti, ac præsertim exteri, non informati de stylo, curiæ, nominare, seu petere soleant aliquem famosum, ac primi nomini Aduocatum civilem, qui à criminalibus omninò abstinere profiteatur, isteque non defraudat votum inquisiti, quando tamen vrgeat motiuum charitatis, & non aliàs.

Expleto autem contradictorio, seu discussione causæ, ille Locumtenens, qui sit eius iudex, referendo more Ponentis, causæ merita, tam offensiuam, quàm defensiuam, exquirat votum Congregationis, tanquam per speciem Assessoris (cum acta iudicialia, ac sententias ipse solus conficiat); Et postquam conclusum fuerit, circa condemnationem, vel absolutionem, seu aliam notabilem prouisionem; Gubernator, qui non solet proprium votum proferre, adnotando resolutionem, eiusque circumstantias, & an concordibus vel discordibus votis sequuta sit, in supra enunciata audientia Papæ, istum de omnibus certiozem reddit, atque ab eo recipit oraculum, quod quandoque est resolutioni conforme, & quandoque difforme, minuendo scilicet pœnam; Ac etiam pro qualitate criminum, & circumstantiarum, mandando vt augeatur, siue quod aliæ adhibeantur diligentia; Aut dispensando alicui impedimento legali circa species probationum; Siue circa minoræ ætatem, quæ regulariter excusare solet à pena ordinaria; quoniam vbi agitur de criminibus atrocibus, siue mali exempli; Vel quod per extraiudiciales notitias habeatur illa certa probatio, quæ desit in processu; Tunc cum eius auctoritate supplere solet aliquem defectum, iuxta Pontificis regnantis genium, vel commendabilem zelum, & vigilantiam, publicæ quietis, & tranquillitatis, rigorosè agendo 11 cum delinquentibus; Cum ex magis veris,

tam legalibus quàm politicis rationibus, rigor contra delinquentes, ac facinorosos, potius adhiberi debeat, illeque veram pietatem redoleat erga innocentes vniuersamque Rempublicam; Vnde propterea, ex Sanctorum PP. testimonio, nulla maior, magisq; grata victima Deo offertur, quàm mactare criminofum, cum via legis, & iustitiæ; Et è conuerso, pietas, seu misericordia erga criminosos, redolet impietatem, ac rigorem contra innocentes, dum irà est indulgere serpentibus, alijsque venenatis, ac damnosis animalibus, vt ouibus, alijsque pacificis, atque humano generi proficuis animalibus officiant; Ac propterea inspidam, ineptamque dicere consueui illam pietatem, vel charitatem, quæ offendat iustitiam, cuius charitas, comes, & pedisequa esse debet, & non aliàs.

Cumque iste supremus Princeps (fortè singulariter in toto Orbe) à merè priuata, & quandoque etiam depressa fortuna, ad istum apicem, per omnes penè 12 gradus ascendat, atque pro frequentiori contingentia peritus in legibus esse soleat, vel saltim, occasione tot munerum, in quibus versatus est, magnam habere soleat praxim, atq; negotiorum peritiam; Hinc sequitur optimus effectus, pro publica quiete, & tranquillitate, vt scilicet, Iudices, ac Magistratus, non de facili illud habeant liberum arbitrium, quod cum iustitiæ detrimento, & Reipublicæ perturbatione, habere solent in illis partibus, in quibus Princeps, vtpotè habens in eo statu natalia, atque huiusmodi negotiorum peritia destitutus, libenter patitur ab iniquis ludicibus, ac Magistratibus iniectione pulueris in oculos; Id autè pro frequentiori contingentia in isto Principe non contingit, vt etiam occasione aliorum negotiorum vniuersi Status ecclesiastici, insinuatur supra, agendo de Congregatione Consultæ.

Quamuis autem, (discurrendo in abstracto) exorbitans videatur Curie vsus, 13 præsertim verò ille huius Tribunalis, in causis criminalibus; Tum ex eo, quod tam iudicatura, quàm curialitas, in hoc genere haberi non solet in ea maiori estimatione, in qua ex dispositione iuris, haberi debet, atq; iuxta frequentiorè praxim alibi habetur; Adeò vt, qualificati, ac primarij viri, pro frequentiori contin-

gentia, in his causis se non ingerant; Ac etiam ob rigorosa bannimēta à iuris dispositione exorbitantia, cum quibus magis istud Tribunal regitur, quam cum regulis iuris, pluresque habeantur aliæ exorbitantiæ; Et præsertim illa, quæ omnium maior reputatur, quæ resultat ex Motibus proprijs vtriusque Pij IV. & V., super denegatione appellationis suspensivæ, adeòvt, celeriter, sequuta sententia, subsequatur executio, etiam irretractabilis & capitalis; Vnde propterea intimatur Reo, in ipso instāti in quo ducitur ad appellam, seu confortariam; Ex ea ratione, quod quamuis sententia proferatur ab vno Iudice, accedit tamen votum plenæ Congregationis vsupra, ac etiam cōmunicatio negotij cum ipso met Papa.

Adhuc tamen, dicere conlauei, quod in hoc præsertim practicari videtur limitatio illius legalis, ac phylosophici assumpti, quod effectus non potest esse diuersus à sua causa, cum ita, ex causa mala, resultet effectus bonus, quod scilicet, huiusmodi exorbitantes rigores, qui (discurrendo in abstracto, & per regulas iuris) damnabiles videntur in adeò graui, ac irretractabili materia, vitæ, ac famæ hominum, quæ secum trahit etiam bona, ob eorum publicationem, pro qualitate criminum; Attamen sunt commendatione digni quoniam effectus est optimus, dum ita omnes, etiam Magnates, ac nobiles, à quorum coercitione verè pendet publica quies, huiusmodi exorbitantiarum timore correpti, à criminibus, atque ab indebitis licentijs, & à grassatorum, ac facinorosorum hominum, turpibus, vereque infamibus, abstineat protectionibus, quæ iuridicè, ac etiam in legibus politicis, causare deberent ipsius nobilitatis amissionem.

Nimiùm quoque, eidem publicæ quieti, & tranquillitati, fauere videtur ille stylus, promptè, ac celeris punitionis, propè delictum, cuius memoria adhuc sit recens, adeòvt, quando esset possibile ipsa met die, nimiùm opportunum esset, vt punitio sequeretur, dum ea quæ serò sequitur, nullam facit in populo impressionem, illumque non operatur effectum, ob quem, ea sequi solet, ac debet, nè

crimina scilicet in futurum perpetrentur, dum iam patrat, ita non consulti-
tur.

Distinctè autem de hoc Tribunali, mihi agere non conceditur, minusque eius stylos, vel praxim referre, ex rationibus
14 insinuat in rubrica prohemiali iudiciorū, vbi assignatur causa, ob quam in hoc vniuersali Theatro, criminales materia negligantur; Neque earum theoricæ tractatio desumpta ex regulis, seu propositionibus Iuris communis conferret, cū
15 nimiùm rari sint casus insoliti, in quibus prouisum non sit per huius Magistratus bannimenta, cum quibus, pro frequentiori praxi proceditur, ita cum eis tollendo Iuristarum subtilitates, & cabalas, cū quibus criminosi excusari facile possunt, ac solent, dum ita potius delinquendi licentia, nutritur & confouetur.

De munere autem huius Magistratus,
16 in visitatione carcerum, agitur supra agendo de Congregatione visitationis carceratorum; Eiusque iurisdicctio, intra Urbis recinctum, vel agrum, restricta
17 non est, sed se protendit ad vniuersum districtum quadraginta milliariū, circum circa, eodem modo quo illa Vicarij, & Senatoris; Vnde propterea, (vt de Vicario supra insinuatum est) etiam in prima instantia concurrat cum quolibet Iudice ordinario sæculari, & quandoque etiam ecclesiastico, quando enunciata facultates specialiter communicata id permittant, illum præueniendo; Quinimò bannitos & contumaces Curiarum inferiorum, etiam baronalium, qui coram eo se constituent, audit, ac recipit, atque causarum cognitionem assumit, quod Baronibus conquærentibus, suamque iurisdictionem tuentibus, variam praxim habere solet pro Papæ præsertim arbitrio, ex causarum qualitate, alijsque facti circumstantijs regulari solito. A

Item nimiùm, ad prædictorum bonorum effectuum productionem, confert
18 valdè commendabilis huius Tribunalis stylus, habendi multos exploratores, qui vulgò spie dicuntur, non solum publicos, & cognitos, quorum opera, pro vulgi, seu plebis negotijs & contingentijs potius prodesse videtur, sed occultos, etiam nobiles,

A. insinuat in tit. de iurisdicct. disc. 88.

nobiles, & qui qualificados habeant nates, vel fortunæ gradus, aut bona, ignobilissimum tamen, ac infamem habent animum, indignosque mores, dum, vel ex genio, vel ob turpe lucrum, istud infame munus, nimium diligenter peragunt; Ità etenim criminosi facilius inquiruntur, adeòvt, iuxta aliquorum curiosorum traditionem, in omni hominum statu adsint de hoc genere exploratorum, nullaque penè adesse videatur domus, vel familia Cardinalium, vel Oratorum Principum, siue Magnatum, aliorumque nobilium virorum, in qua non adsit Curia minister, atque occultus explorator, qui tamen frequentius ipsi Domino seu patri familias cognitus esse solet, sed toleratur, vt ita habeatur stimulus bene viuendi; Et vtinam in nostra quoque professione, vel genere non adessent, vt non adesse credendum, ac sperandum est; Ipse verò stylus habendi hos ministros, & operarios est commendabilis, & proficuus pro publica quiete.



De Senatore Urbis, alijsque officialibus fori Capitolini;

SVMMARIVM.

- 1 De significatione huius vocabuli Senatoris.
- 2 De eius introductione, ac potestate.
- 3 Quo tempore officium duret, & de qualitatibus ad illud necessarijs.
- 4 Quod antiquitus etiam Reges, & Principes hoc munus exercebant.
- 5 De Capitolio Romano, eiusque duobus partibus, vel corporibus.
- 6 De conseruatoribus Populi, eiusque Camera, & de Priore.

- 7 An, & quam participationem cum istis habeat Senator.
- 8 De officijs vacabilibus Populi, seu Capitolij.
- 9 De Tribunali seu foro contentioso Capitolino, & ex quibus constituitur.
- 10 De Capiteo appellationis, & quod non detur vltior appellatio.
- 11 Sed quod cause diuturnam habeant durationem, & quare.
- 12 De consultoribus assumi solitis.
- 13 Est forus competentis ciuium & incolarum secularium, sed quare modicas tractet causas graues.
- 14 Improbatur praxis, ac etiam Statutum, vt in Vrbe seruari debeat ius ciuile, & de istius statuti ratione.
- 15 Quod deheret mutari praxis.
- 16 De cognitione causarum criminalium.
- 17 Quare eius styli non recensentur.
- 18 De Statutis Urbis.
- 19 De districtu Urbis.
- 20 Habet Senator audientiam Papæ.
- 21 De Prærogatiua Populi Romani, seu eius Conseruatorum dandi libertatem seruus qui Capitolium ascendant.

DISC. XXXVII.

1 **I**llud Senatoris nomen, seu vocabulum, quod in antiqua Republica Romana in vsu erat, diuersam habet significationem, diuersamque redolet digni-

tatem, ab hodierno Senatore Urbis, de quo in præfenti agitur; Tunc etenim significabat vnum ex illis senioribus, vel consiliarijs, qui illum constituebant prudentiorum virorum cætum, penes quem Reipublicæ regimen residebat, cui Senatus nomen tribuebatur. Et cuius, quamdam imaginem (cum debita proportione alibi insinuata) in hodierna Romana Republica ecclesiastica, præsertim Collegium Cardinalium. A

Hodierni verò Senatoris diuersa est origo; Postquā enim pluriū sæculorū spatio, antiquus ille Senatus, omninò dissolutus erat, penè in obliuionem obijisset; Non quidem pro publico seu polytico regimine Reipublicæ constituentis supremum principatum plurium Ciuitatum.

P.2. Relat. Cc ac

A. supra disc. 4. & 5.